



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

1 De pertinentibus ad substantias spirituales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

fit, quod omnis influxus sit ratione lucis, nisi lux metaphorice accipiatur pro omni actu, prout omne agens agit in quantum est ens actu, vel hoc potest esse verum in solis corporalibus, in quibus proprie dicitur lux, in quantum scilicet lux corporalis est forma primi corporis agentis scilicet celi, cuius virtute omnia corpora inferiora agunt. Et hæc ad præsens dicta sufficiant.

Finis sexti quodlibeti.

INCIPIIT QVODLIBET SEPTIMUM.

QVÆSTIO PRIMÆ.

**Q**VÆSTIVM est de tribus.

¶ Primo, Quædam pertinentia ad substantias spirituales.

¶ Secundo, Quædam pertinentia ad sacramentum altaris.

¶ Tertio, Quædam pertinentia ad corpora damnatorum.

¶ Circa substantias spirituales quærebatur.

¶ Primo, De cognitione earum.

¶ Secundo, De fruitione anime Christi tempore passionis.

¶ Tertio, De pluralitate in substantiis spiritualibus inuenta.

¶ Circa primum quærebatur quatuor.

¶ Primo, Vtrum aliquis intellectus creatus possit diuinam essentiam videre immediate.

¶ Secundo, Vtrum intellectus creatus possit simul plura intelligere.

¶ Tertio, Vtrum intellectus angelicus possit intelligere singularia.

¶ Quarto, Vtrum notitia, quam Augustinus dicit prole mentis, sit accidens, uel non.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliquis intellectus creatus possit diuinam essentiam immediate uidere.

1. p. q. 18. ar. 2. o. & art. 4. ad 3. 2. uerbi. q. 9. & 4. dist. 49. q. 2. art. 1. & 22. q. 175. art. 3.

**A**D PRIMVM sic proceditur. Videtur quod nullus intellectus creatus possit diuinam essentiam immediate uidere. Intellectus enim creatus, cum indifferenter se habeat ad omnia intelligibilia, non potest cognoscere determinate aliquid, nisi per obiectum suum determinetur: sed diuina essentia non est obiectum quod possit intellectum determinare, quia est summum in entibus, & maxime generalitatis, & nullo modo determinatum, ergo intellectus creatus ipsam uidere non potest.

¶ 2. Præ. Ad hoc quod intellectus cognoscat aliquid, oportet quod fiat in actu. Nihil enim operatur secundum quod est in potentia, sed secundum quod est in actu: intellectus autem non fit in actu, nisi secundum quod intelligibili informatur. cum ergo essentia diuina non possit per seipsam informare intellectum, ut formaliter faciat ipsum esse in actu, oportet quod debet per intellectum cognosci, quod per aliquam sui similitudinem intellectum informet ad hoc quod cognoscat, & ita non poterit immediate nisi per similitudinem uideri.

¶ 3. Præ. Ad hoc quod intellectus creatus essentiam diuinam uideat, oportet quod per lumen gloriæ perficiatur, sed lumen gloriæ est medium distans & ab

ipso intellectu, & ab ipsa essentia diuina, quæ est beatitudo increata, cum lumen predictum dicatur creatura ergo intellectus creatus non potest uidere diuinam essentiam immediate.

¶ 4. Præ. Secundum Phil. in 3. de anima. Sicut sensus se habet ad sensibile, ita se habet intellectus ad intelligibile: sed ad hoc quod sensus uisum suum obiectum percipiat, duplici medio indiget, lumine, & specie, quæ est similitudo rei uise, ergo hoc idem est necessarium intellectui in uisione diuine essentia, & sic non immediate eam uidebit.

SED CONTRA est quod dicitur 1. Io. 3. Videmus eum sicuti est.

¶ 2. Præ. Ad hoc quod intellectus intelligat, nihil aliud uidetur requiri, nisi quod intelligibile fiat in actu, & quod intellectui coniungatur: sed essentia diuina per seipsam est intelligibilis in actu, cum sit immaterialis, intellectui etiam præsens est, quia ut dicit Aug. Deus unicuique rei est uicinius, quæ ipsa res sibi, ergo intellectus creatus essentiam diuinam poterit immediate uidere.

RESPON. Dicendum, quod absque dubio tenendum est, quod diuina essentia in patria immediate ab intellectu glorificato uideatur. Ad cuius euidentiam sciendum est, quod in uisione intellectiua triplex medium contingit esse. Vnum sub quo intellectus uidet, quod disponit eum ad uidentium, & hoc est in nobis lumen intellectus agentis, quod se habet ad intellectum possibilem nostrum, sicut lumen oculi ad oculum, Aliud medium est quo uidet, & hoc est species intelligibilis, quæ intellectum possibilem determinat, & habet se ad intellectum possibilem, sicut species lapidis ad oculum. Tertium medium est, in quo aliquid uidetur, & hoc est res aliqua, quam in cognitione alterius deuenimus, sicut in effectu uidemus causam, & in uisionem, uel contrarietur uidetur aliud, & hoc medium se habet ad intellectum sicut speculum ad uisum corporalem, in quo oculus aliquam rem uidet. Primum ergo medium & secundum non faciunt medietatem uisionem: immediate enim dicitur aliquid uidere lapidem, quamuis eum per speciem eius in oculo receptam, & per lumen uideat, quia uisus non fertur in hæc media tanquam in multibilibus, sed per hæc media fertur in unum uisibile, quod est extra oculum, sed tertium medium facit uisionem medietatem. Uisus enim prius fertur in speculum sicut in uisibile, quo mediante accipit speciem rei uisam specie, uel speculo. Similiter intellectus cognoscens causam causato, fertur in ipsum causatum sicut in quoddam intelligibile, ex quo transit in cognitionem cause. Et quia essentia diuina in statu, uel in effectibus suis cognoscitur, non uidemus eam immediate: unde in patria, ubi immediate uidebitur, tale medium penitus subtrahetur. Similiter etiam non est ibi medium secundum. Siquis species essentia diuine intellectum informans, quia quando aliquid uidet immediate per speciem suam, oportet quod species illa representet rem illam secundum complementum esse sue speciei, alias non diceretur res illa immediate uideri, sed quædam umbra eius, sicut si similitudo lucis in oculo fieret per modum coloris qui est lux obumbrata. Cum autem omne quod recipitur in aliquo, recipiatur in eo per modum recipientis, impossibile est in intellectu creato similitudinem diuine essentia recipi, quæ eam perfecte secundum totam suam rationem repræsentet. Unde si per aliquam similitudinem talem essentia diuina a nobis uideretur immediate, non uideretur essentia.

essentiam diuinam, sed quamdam umbrā eius. Restat ergo quod solum primum medium erit in illa visione, scilicet lumen gloriæ, quo intellectus perficietur ad uidendum essentiam diuinam, de quo in psal 35. In lumine tuo uidebimus lumen. Hoc autem lumen non est necessarium ad hoc quod faciat intelligibile in potentia esse intelligibile in actu, ad quod est nobis necessarium lumen intellectus agentis, quia ipsa diuina essentia cum sit a materia separata, est per se actu intelligibilis, sed erit necessarium tantum ad perficiendum intellectum, ad quod etiam nunc lumen intellectus agentis ualet. Prædictum autem lumen gloriæ sufficienter perficiet intellectum, ad uidendum diuinam essentiam, eo quod ipsa essentia diuina totaliter lux intelligibilis est. Vnde de lumine gloriæ ab ea in intellectu descendens facit hoc respectu diuinæ essentia in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quæ non sunt lux tantum, sed species rei intellectæ simul & lumen: sicut si lux sensibilis per se existeret, ad eius uisionem sufficeret lumen oculum perficiens sine aliqua similitudine.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod aliquid dicitur determinatum dupliciter. Primo ratione limitationis. Alio modo ratione distinctionis. Essentia autem diuina non est quæ determinatur primo modo, sed secundo modo, quia forma non limitatur nisi ex hoc quod in alio recipitur, cui materia commentatur. In essentia autem diuina non est aliquid in alio receptum, eo quod esse eius est ipsa diuina natura subsistens, quod in d nulla realia contingit. Nam qualibet res alia habet esse receptum & sic limitatum: & id est quod essentia diuina ab omnibus distinguitur per hoc, quod est in alio non recipi: sicut si esset aliqua albedo existens non in subiecto, ex hoc ipso distingueretur a qualibet albedine in subiecto existente, quamuis in rōne albedinis non esset recepta, & sic neclimitata. Patet ergo quod essentia diuina non est quæ generale in essendo, cum sit ab omnibus alia distincta, sed solum in causando, quia id quod est per se, est eorum que per se non sunt. Vnde esse per se subsistens est causa omnis esse in alio recepti: & ita essentia diuina est intelligibile, quod potest determinare intellectum.

AD SECVNDVM dicendum, quod intellectus creatus sit actus ad uidendum diuinā essentia p lumen gloriæ & hoc sufficit, ut dictum est.

AD TERTIVM dicendum, quod illud lumen gloriæ quāuis & ab essentia diuina, & ab intellectu sit differens per essentiam, non tamen facit mediatam uisionem, ut ex dictis patet.

AD QVARTVM dicendum, quod uisibilia non sunt lux tantum, & id eo oportet ad hoc quod uisus determinetur ad ea, quod non solum sit ibi lumen, sed et species rei uisæ. Essentia aut diuina est pure lux, & id non requirit aliquam aliam speciem quā ipsam lumen ut uideatur, sicut ex dictis patet.

ARTICVLVS II.

Utrum intellectus creatus possit simul plura intelligere.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quod intellectus creatus possit simul plura intelligere. Potentia enim sensitua cum sit materialis, est in se magis contracta quā intellectiua: sed sensus potest simul plura sentire, sicut sensus communis simul sentit album & dulce, dum eorū differentiam cognoscit: ergo intellectus multo fortius potest simul plura intelligere.

**A** ¶ 2 Præ. Plura intelligibilia possunt simul cognosci, in quantum sunt unum: sed omnia intelligibilia sunt unum, in quantum sunt intelligibilia. ergo omnia intelligibilia possunt simul cognosci.

¶ 3 Præ. Sicut se hēt intellectus in habitu ad intelligibile in habitu, ita se hēt intellectus in actu ad intelligibile in actu: sed intellectus in habitu simul plura intelligibilia cognoscit in habitu. ergo intellectus in actu simul plura intelligit in actu.

¶ 4 Præ. Ad cognitionem intellectus sufficit spēs rei intelligibilis in intellectu existēs: sed species intelligibiles non se impediunt, quin simul sint in intellectu, cum non sint contrariæ: ergo sunt a materia separata: ergo intellectus non impeditur quin possit simul plura intelligere.

¶ 5 Præ. Capacitas intellectus est maior quā cuiuscūque corporis: sed aliquod corpus est, in quo simul possunt plures species etiam contrariorum fieri, sicut patet quod in uno puncto aeris, in quo se intersecant due linee directæ a duobus uisibilibus ad duos uidentes, est species utriusque uisibilis. ergo multo fortius plures species actu possunt simul esse in intellectu, & ita intellectus potest simul plura intelligere.

SED CONTRA est, quod dicit Philosophus in 2. Topic. Contingit plura scire, intelligere uero unum solum.

RESPON. Dicendum, quod intellectus dupliciter aliquid intelligit, scilicet primo, & ex consequenti. Ex consequenti quidem contingit plura simul intelligere, in quantum habent ordinem ad unū intelligibile primum, & hoc contingit dupliciter. Vno modo, ex unitate eius quo intelligitur, sicut quā plura intelligibilia per unam spēm intelliguntur, sicut intellectus diuinus omnia simul uidet per unam essentiam suam, & eodem modo intellectus creatus uidens essentiam diuinam potest simul omnia uidere que per essentiam diuinam uidentur. Alio modo, ex unitate eius quo intelligitur, scilicet quando plura intelliguntur ut unam, totū enim unum est primo intellectum, & illa plura sunt intellecta ex consequenti in illo, sicut cum intellectus intelligit lineam, simul intelligit partes lineæ, ut dicitur in 3. de anima. Et similiter eum intelligit propositionem, intelligit simul subiectum & prædicatum, & cum intelligit similitudinem, uel differentiam aliquorum, simul intelligit ea quorum est similitudo, uel differentia: sed quod intellectus simul intelligat plura intelligibilia primo, & principaliter, est impossibile. Cuius ratio est, quia intellectus per actum est omnino, & perfecte, res intellecta, ut dicitur in 3. de anima. Quod quidem intelligendum est non quod essentia intellectus fiat res intellecta, uel species eius, sed quia complete informatur per speciem rei intellectæ, dum eā actu intelligit. Vnde intellectum simul plura actu intelligere primo idem est, ac si res una simul esset plura. In rebus n. materialibus uidemus quod una res numero non potest esse simul plura in actu, sed plura in potentia, uel secundum dispositionem potest esse unum & idem. Idem n. aer est simul potentia aqua & ignis, & possunt etiam simul dispositiones ad utrumque quantum ad aliquid in esse eodem, sicut si aer ex una parte calefieret, & ex alia inspissaret: sed quod aer simul actu sit ignis & aqua, est impossibile, & similiter est quod aliquid sit simul actu lapis, & ferrū, quæ non uidentur contrariæ, sed disparata. Intellectus aut ex ipsa rōne suæ potentie est simul potentia oīa intelligibilia, sicut & sensus omnia sensibilis.

Quodlibet. S. Tho. F 4 Po.

D. 46.

D. 46.

ar. 16. & ar. 23. ad 4. & 11. q. 14. ar. 7. 1. p. q. 16. ar. 10. a.

Tex. 63.

Tex. 66.

11. ar. 10. q. 14. ar. 7. q. 16. a.

Potentia autem sensitiva per similitudines sensibiliu[m] reducitur in actu dupliciter. Vno modo, incomplete per modum dispositionis, quando species sensibiles sunt in ea ut dispositiones, quod appellat Avicenna, esse ut in thesauro. Alio modo, perfecte, quando species sensibiles actu informant potentiam sensitivam, & hoc vocat Avicenna apprehensionem sensus, distinguens potentias sensitivas apprehendentes ab illis, in quibus sunt forme sensibiles, ut in thesauro, & similiter in intellectu in habitu sunt similitudines intelligibilium ut dispositiones: sed quando sunt actu intellectae, sunt in eo ut formae perfectiores, & tunc intellectus fit omnino res intellecta, & hoc contingit per intentionem quae coniungit intellectum intelligibili, & sensum sensibili, ut dicit Aug. Vnde patet quod sicut una res materialis non potest esse simul plura actu, ita unus intellectus non potest simul plura intelligere. Nec potest dici, quod intellectus informetur perfecte simul pluribus speciebus intelligibilibus, sicut unum corpus simul informatur figura & colore, quia figura & color non sunt formae unius generis, nec in eodem ordine accipiuntur, quia non ordinantur ad perficiendum in esse unius rationis, sed omnes formae intelligibiles in quantum huiusmodi, sunt unius generis, & in eodem ordine se habent ad intellectum, in quantum perficiunt intellectum in hoc quod est esse intellectum in actu. Vnde plures species intelligibiles se habent sicut figurae plures, vel plures colores, qui simul in actu in eodem esse non possunt secundum idem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod similiter dicendum est de potentia sensitiva. i. quod non potest plura simul sentire, sed ex consequenti, in quantum plura accipiuntur ut unum: sicut plura sensibilia uniuersum in una differentia, & plura sensibilia quae sunt partes uniuersum in uno toto. Vnde quando sentitur totum, sentiuntur simul plures partes ex consequenti, & tunc intentio sensus non fertur ad aliquam partem principaliter, sed ad totum, quia si ad aliquam partem ferretur, ut ad sensibile principale, non simul sentiretur alia: & iterum sensus communis, quamuis sit una potentia secundum essentiam, tamen aliquo modo multiplicatur secundum esse, in quantum coniungitur diuersis sensibus propriis, sicut unum centrum coniungitur pluribus lineis. Vnde immutationes omnium sensibilibus simul terminantur ad sensum communem, sicut motus qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum, sed intellectus non multiplicatur modo praedicto in plures potentias, & ideo non est simile.

AD SECUNDVM dicendum, quod cognoscibilia quae simul cognoscuntur, oportet quod accipiantur ut cognoscibile unum numero. Omnia autem intelligibilia, in quantum huiusmodi, sunt unum genere non numero, & ideo ratio non sequitur.

AD TERTIVM dicendum, quod iam patet ex praedictis, quod non eodem modo se habet intellectus in habitu ad intelligibilia in habitu, quae sunt in ipso ut dispositiones, & intellectus in actu ad intelligibilia in actu, quae sunt in ipso ut ultimae perfectiones.

AD QUARTVM dicendum, quod non solum prohibetur res aliqua esse plura contraria actu simul, sed et plura esse disparata, ut patet ex dictis: unde quauis formae intelligibiles in intellectu non sint contrariae, nihilominus tamen intellectus prohibetur

simul plura intelligere, ut ex dictis patet: AD QVINTVM dicendum, quod species sensibiles, quae sunt in medio deferentes, sunt ibi per modum dispositionis, & non per modum ultimae perfectionis, quia sunt ibi sicut in quodam fluxu, & ideo non est simile.

ARTICVLVS III.

Vtrum intellectus angelicus possit cognoscere singularia.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur, quod intellectus angelicus non possit cognoscere singularia. Si enim cognoscit, aut cognoscit per speciem acquiram, aut per concretam: non per acquiram, quia vel illa esset particularis, & per consequens materialis, & ita in intellectu angeli materialis esse non posset: vel esset vniuersalis, & sic per se singularia cognosci non posset: similiter nec per concretam, quia ipse concretata angelo a principio lux creationis fuit in ipso: ad cognitionem autem alicuius sufficientis species eius sit in intellectu, & ita si per speciem concretam posset aliquid particulare cognoscere, cum est praesens, a principio creationis fuit illud cognoscisset, quando ad hoc erat futurum, quod non potest esse, quia cognoscere solius Dei est, illa. 41. Annuntiare quae ventura sunt in futurum, & sciens quid dicitis vos, ergo angelus singularia cognoscere non potest.

Si dicatur quod species illae concretatae faciunt cognitionem praesentium, non autem futurorum. Contra. Non potest aliqua cognitio noua fieri, nisi fiat aliqua innovatio in cognoscente. sed per hoc quod particulare, quod erat futurum, fit praesens, non fit aliqua innovatio in intellectu angelico, cum nihil recipiat a re extra, ergo si prius dum erat futurum, non cognoscebat, nec dum fit praesens, cognoscere poterit.

Si dicatur quod quauis nihil recipiat, in formam quam apud se habebat prius, applicat ad particulare quod de nouo fit. Contra. Intellectus non potest aliquid ad aliud applicare, nisi praecognoscatur & quod applicat, & cui applicatur, quia prius est cognoscere duo secundum se, quam comparatione unius ad alterum, ergo applicatio praedicta sequeretur cognitionem singularium, & sic non posset esse eius.

¶ 2. Prae. Si angelus cognoscit singularia, aut cognoscit vna specie, aut pluribus: sed non pluribus, quia si oporteret quod infinitas species apud se haberet, cum infinita sint particularia ad minus in potentia, similiter nec vna, quia sic intellectus angelicus acciperetur intellectui diuino, qui uno, scilicet essentia diuina, plura intelligit, ergo intellectus angelicus singularia cognoscere non potest.

Si dicatur quod non cognoscit per unam speciem omnia, sed per unam speciem omnia individua vniuersae speciei, & non alia. Contra. Illa vna species non habet magis ad unum individuum quam ad aliud: sed oportet quod per speciem intelligibilem intellectus determinetur ad determinatum cognoscibile, ergo per speciem illam non poterit cognoscere hoc particulare determinare.

SED CONTRA est, quod dicitur ad Hebr. 1. Omnes sunt administratores spiritus, &c. quod non possent esse, nisi cognoscerent singulares homines.

RESPON. Dicendum, quod angelus absque dubio singularia cognoscit. Vt autem videamus modum quo hoc possibile sit, sciendum est quod ad hoc, quod singulare aliquid cognoscatur, oportet quod in potentia cognoscitiua sit similitudo eius, in quantum particulare

culare est. Omnis autem forma de se communis est: unde additio formæ ad formam non potest esse cā individuationis, quia quocumque formæ simul aggregentur, ut album, bicubium, & cristum, & huiusmodi, non constituunt particulare, quia hæc omnia simul sunt in uno: & ita in pluribus potentiis est possibile invenire: sed individuatō formæ est ex materia per quam forma contrahitur ad hoc determinatum; unde ad hoc quod particulare cognoscatur, oportet quod in cognoscente non solum sit similitudo formæ, sed aliquantulum materie. Similitudo autem rei cognitæ dupliciter est in cognoscente. Vno modo, sicut causata a re, sicut in his quæ cognoscuntur per speciem abstractam a rebus. Alio modo, sicut causa rei, ut patet in artifice qui cognoscit artificiatum per illam formam, per quam ipsum facit. Species autem quæ est in sensu causata a re sensibili, in quantum non est omnino a conditionibus materialibus depurata, est similitudo forme secundum quod est in materia, & ideo per eam cognoscitur particulare. Sed quia secundum quod in intellectu nostro recipit species rei sensibilis, est omnino iam a materialibus conditionibus depurata, non potest intellectus noster per eam directe particulare cognoscere, sed per quandam reflexionem in intellectu ad potentias sensibiles, a quibus species intelligibiles abstrahuntur. Per formam autem quæ est causa rei, hoc modo cognoscitur res, secundum quod forma illa est causa eius. Et quia artifex homo per formam artis non producit materiam, sed materia præsupposita inducit formam artis, forma artis quæ est in mente artificis, non est similitudo artificati, nisi quo ad formam tantum, unde per eam non cognoscit artificiatum in particulari, nisi formam artificiatum per sensum accipiat. Artifex autem increatus, sicut Deus, non solum producit formam, sed etiam materiam. Vnde rationes ideales in mente ipsius existentes non solum sunt efficaces ad cognitionem universalem, sed etiam ad singularia cognoscenda a Deo. Sicut autem illæ rationes ideales existunt in res producendas in esse suo naturali, in quo particulariter in unum quodque subsistit in forma & materia, ita procedunt in mentes angelicas, ut sint in eis principium cognoscendi res secundum suum totum esse in quo subsistunt, & sic per species influxas ibi ab arte divina angeli non solum universalia, sed et particularia cognoscunt, sicut & Deus. Est tamen differentia in duobus. Primo, quia ideas quæ sunt in mente divina, sunt formæ factive rerum, & non solum principia cognoscendi: sed species quæ recipiuntur in mente angelica, sunt solum principia cognoscendi, & non sunt factive, sed exemplare factive. Secundo, quia intellectus quanto est altior & perspicacior, tanto ex uno potest plura cognoscere: & quia intellectus divinus est altissimus, per unam simplicem essentiam suam omnia cognoscit: nec est ibi aliqua pluralitas formarum idealium, nisi secundum diversos respectus divine essentia ad res cognitivas: sed in intellectu creato multiplicatur secundum rem, quod est unum secundum rem in mente divina, ut non possit omnia per unum cognoscere, ita tamen quod quanto intellectus creatus est altior, tanto pauciores habet formas ad plura cognoscenda efficaces. Et hoc est quod Dionysius dicit 12. cap. cæl. hier. quod superiores ordines habent scientiam magis universalem in inferioribus. Et in li. de causis dicitur, quod intelligentie superiores habent formas magis universales: hoc tamen observato, quod in infimis angelis sunt formæ adhuc universales intantum,

**A** quod per unam formam possunt cognoscere omnia individua unius speciei, ita quod illa species sit propria uniuscuiusque particularium secundum diversos respectus eius ad particularia, sicut essentia divina efficitur propria similitudo singulorum secundum diversos respectus: sed intellectus humanus qui est ultimus in ordine substantiarum intellectualium, habet formas intantum particularitas, quod non potest per unam speciem nisi unum quid cognoscere: & ideo similitudo speciei existens in intellectu humano non sufficit ad cognoscenda plura singularia, & propter hoc intellectui adiuncti sunt sensus, quibus singularia accipiat.

**B** Ad primum ergo dicendum, quod angelus nullo modo cognoscit singularia per speciem acquisitam, quia nec per speciem acceptam a re, sic enim res agerent in intellectum eius, quod est impossibile: neque per aliquam speciem de novo influxam a Deo revelare ipsi angelo aliquid de novo, quia species, quas angelus habet apud se concreatas, sufficienter ad omnia cognoscibilia cognoscenda, sed secundum quod per altius lumen intellectus angeli elevatur in altiores conceptiones, ex illis speciebus pro dire potest: sicut etiam ex eisdem phantasmatum speciebus intellectus propheta lumine prophetia adiutus aliquam cognitionem accipit, ad quam non sufficiebat naturale lumen intellectus agentis.

**C** Restat ergo ut angelus cognoscat singularia per species concreatas. Sicut autem per unam speciem concreatam potest cognoscere diversa individua, ita etiam multo amplius potest per unam cognoscere quicquid est in uno individuo, ut non oporteat eum aliam speciem habere, non qua cognoscit colorem & odorem unius pomi, sed simul cognoscendo hoc pomum, cognoscit quicquid est in pomum illo & essentialiter, & accidentaliter. Effectus autem non est in causa sua ut in ea possit cognosci, nisi sit causa determinata ad effectum illum, sicut patet in causis necessariis, quibus cognoscunt effectus earum: sed causa contingens non determinatur ad effectum suum, nisi quando actu producit ipsum: unde in causa contingente non est effectus eius ut in ea possit cognosci, nisi quando iam actu productus est, & ideo angelus per species concreatas cognoscens causas universales omnium singularium contingentium, non cognoscit naturali cognitione effectus earum antequam sint in actu, sed statim cum actu sunt.

**D** Ad secundum dicendum, quod quando aliquid incipit esse præsens, angelus de novo cognoscit illud non facta aliqua invocatione in ipso angelo, sed in re cognoscibili, in qua est aliquid quod prius non fuit, quod sine ea cognita non cognoscitur.

**E** Ad tertium dicendum, quod applicatio illa est intelligenda per modum illum, quo Deus ideas ad res cognoscendas applicat, non sicut modum cognoscibile ad aliud, sed sicut modus cognoscendi ad rem cognitam, alias nihil valeret ad propositum, sicut ostensum est in obiciendo.

**F** Ad quartum dicendum, quod intellectus angeli neque una specie cognoscit omnia, neque tot species habet quot sunt individua, ut ex dictis patet.

**G** Ad quintum dicendum, quod illa una species efficitur ratio cognoscendi quodlibet individuum secundum respectum ad ipsum, ut ex dictis patet.

ARTICVLVS IIII.

*Vtrum notitia, que ab Aug. dicitur proles mentis, sint in mente sicut accidens in subiecto.*

**C**IRCA quantum sic proceditur. Videtur, quod notitia que ab Aug. dicitur proles mentis, non sit in mente sicut accidens in subiecto. Nullum enim accidens excedit suum subiectum: sed notitia excedit mentem, quia mens non solum seipsam, sed & alia per notitiam nouit, ergo notitia non est accidens mentis. ¶ 2 Præ. Nullum accidens est æquale suo subiecto: sed notitia est æqualis menti, alias in notitia, mente, & amore non consisteret imago trinitatis, quod Au. ponit, ergo notitia non est accidens mentis. ¶ 3 Præ. Hoc idem videtur ex verbis Aug. qui in 9. lib. de trin. dicit, quod notitia & amor in anima existunt substantialiter, vel ut ita dicam essentialiter, non tamquam accidens in subiecto, ut color, aut figura in corpore.

**S**ED CONTRA. Notitia mentis nihil aliud esse videtur, quam scientia: sed scientia est accidens, cum sit in prima specie qualitatis, ergo & notitia.

**R**ESPON. Dicendum, quod notitia quatuor modis accipi potest. Primo, pro ipsa natura cognoscitana: secundo, pro potentia cognitiua: tertio, pro habitu cognoscitino: quarto, pro ipso cognitionis actu. Sicut etiam hoc nomen sensus quandoque nominat naturam sensitiuam, prout scilicet est principium huius nature, quod est sensibile. Quandoque uero nominat ipsam potentiam, quandoque uero actum. Loquendo ergo de notitia primo modo accepta, constat quod non est in substantia mentis, sicut accidens in subiecto, sed substantialiter & essentialiter, sicut dicitur quod rationale est in uiuo & uiuum in ente. Si autem loquamur de notitia tribus aliis modis accepta, sic dupliciter potest considerari, vel secundum quod comparatur ad cognoscentem, & sic inest cognoscenti sicut accidens in subiecto, & sic non excedit subiectum, quia nunquam inuenitur inesse alicui nisi menti. Vel secundum quod comparatur ad cognoscibile, & ex hac parte non habet quod inest, sed quod ad aliud sit. Illud autem quod ad aliquid dicitur, non habet rationem accidentis ex hoc quod est ad aliquid, sed solum ex hoc quod inest, inde est quod sola relatio secundum rationem sui generis cum substantia remanet in diuinis, nec tamen est ibi accidens: & propter hoc notitia secundum considerationem istam non est in anima sicut in subiecto, & secundum hanc comparisonem excedit mentem, in quantum alia a mente per notitiam cognoscuntur. Secundum hanc et considerationem ponitur trinitatis imago, quia et persona diuina distinguuntur secundum quod ad alterum sunt: & secundum hoc etiam est quedam æqualitas notitiæ ad mentem, in quantum se extendit ad omnia, ad quæ potest se extendere mens. Et sic patet responsio ad obiecta.

QVÆSTIO III.

ARTICVLVS V.

*Vtrum fuerit fruitio anime Christi in passione.*

3. p. q. 46. 2.  
7. a. u. q. 26  
2. 1. o. q. 9.  
op. 3. c. 28.  
& opus 60.  
de c. p. pas-  
sione.

**D**EINDE queritur de fruitione anime Christi in passione, & uidetur quod illa fruitio peruenit usque ad essentiam anime: Anima enim Christi perfecte fruebatur, sed non esset perfecta fruitio, si ad es-

sentiam anime non perueniret, sed consistere in una potentia, sin superiori ratione, ergo perueniebat usque ad essentiam anime.

¶ 2 Præ. Anima Christi perfectius fruebatur quam anime sanctorum in patria: sed fruitio sanctorum in patria pertingit usque ad essentiam anime, ergo multo fortius in Christo.

**S**ED CONTRA. Nihil fruitur nisi quod cognoscit, quia secundum Aug. fruimur cognitis, in quibus propter se uoluntas delectata conquiescit: sed cognoscere non est essentia anime, sed potentia, ergo fruitio ad essentiam anime non perueniebat.

**R**ESPON. Dicendum, quod fruitio in actu quodam consistit, quo Deus uidetur & amatur, adus autem non est nisi rei subsistentis: unde propter quod neque potentia anime fruitur, neque essentia, sed homo, vel anima per se subsistens: sed tamen potentia anime sunt principia operationum anime, sicut essentia anime est principium essentiarum, & secundum hoc oportet dicere quod superior ratio, cuius obiectum est res eterna qua fruetum est, est principium fruitiois, quo anima fruitur: ad alias autem uires, vel ad anime essentiam fruitio pertinere non potest, nisi per quandam redundatam, prout scilicet ex illa fruitione superioris rationis aliquis effectus in essentia anime, uel in potentia inferioribus relinquatur, & sic aliquo modo perueniat fruitio ad essentiam anime Christi in passione, & aliquo modo non. Si enim consideretur essentia anime in passione Christi, prout est actus corporis, sic fruitio ad eam non perueniebat, alias corpus eius gloriosum factum fuisset. Similiter nec ad essentiam, secundum quod est radix inferiorum uirium, quia sic fruitiois gaudium dolorem passionis, qui erat in uiribus inferioribus, totaliter euacualet: perueniebat autem ad essentiam anime secundum quod erat radix superioris rationis. Et quia essentia anime est simplex, & est tota in qualibet potentia, ideo dicitur quod tota anima fruebatur in Christo, in quantum scilicet est radix superioris rationis, & tota pertinebat, in quantum scilicet est actus corporis, & radix inferiorum uirium.

**A**D PRIMUM ergo dicendum, quod non impeditur perfectio rei, nisi per hoc quod tollitur aliquid de essentialibus rei, gloria autem corporis & inferiorum uirium pertinet ad gaudium accidentale beatitudinis, & ideo quamuis in Christo fruitio non peruenit ad essentiam anime, secundum quod est actus corporis, & secundum quod est radix inferiorum uirium, non sequitur quod fruitio fuerit imperfecta in Christo, sicut beatitudo.

**A**D SECUNDUM dicendum, quod anima Christi perfectius fruebatur, quam anime sanctorum in patria, loquendo intentione, non autem loquendo extentione, quia in patria gaudium fruitiois ad inferiores uires, & etiam ad corpus gloriosum pertinet, quod si in Christo fuisset, uiuor non fuisset.

**D**EINDE queritur de pluralitate in substantiis spiritualibus inuenta. ¶ Et queruntur duo. ¶ Primo, Vtrum immensitas diuina excludat pluralitatem personarum. ¶ Secundo, Vtrum angelica simplicitas patiatur compositionem ex subiecto & accidente.

QVÆSTIO IIII.

**D**EINDE queritur de pluralitate in substantiis spiritualibus inuenta.

¶ Et queruntur duo.

¶ Primo, Vtrum immensitas diuina excludat pluralitatem personarum.

¶ Secundo, Vtrum angelica simplicitas patiatur compositionem ex subiecto & accidente.